



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Vita Sergii Papae III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

CHRISTOPHORI PAPÆ VITA. 711

VITA

ANNO
CHRISTI
908.

CHRISTOPHORI PAPÆ.

CHRISTOPHORVS inuafor sedis apostolicæ pari modo ab inuafore Sergio pontificatu deiicitur, quo ille prædecessorem suum Leonem quintum legitime electum sede sua amouerat. Nam cum septem menses sedem pontificiam tenuisset, deiectus est e sede violenter per Sergium, strictusque vinculis & in carcerem trusus, per vim inductus vitam & habitum monasticum suscepit.

Christo-
phorus se-
dis inuafor
& pontifex.

VITA

SERGII PAPÆ III.

SERGIVS ille nefandus Adelberti Tusciæ marchionis armis potentissimis fretus, homo vitiorum omnium feruus, omniumque facinorosissimus, qui vna cum Stephano sexto in Formosum papam supra modum sæuierat, sedem Christophori, non Formosi, vt memoria lapsus asseruit Luitprandus, inuasit, adeoque ab omnibus non legitimus pontifex, sed inuafor sedis apostolicæ est habitus. Ex presbytero, non ex diacono, vel episcopo, vt habent Luitprandus & Sigebertus, factum esse pontificem indicant acta Concilii Romani sub Ioanne IX. celebrati. Ambitione sedis apostolicæ ad Francos se contulit, ait Sigebertus, & eorum auxilio Christophorum inuaforem capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingressus, papatum inuasit, & Romanos minis ac terribus perpulit, vt omnes ordinationes Formosi irritas haberent. Eumdem etiam ordinatos a Formoso papa exordinasse, nouasque eorumdem ordinationes superinduxisse, testatur Auxilius apud Sigebertum in dialogo, quem hoc tempore contra intestinam discordiam Romanæ ecclesiæ de ordinationibus & exordinationibus Romanorum pontificum, aliorumque ab iis ordinatorum, scripsit. Ne quis vero pusillanimis ex hoc facto scandalum accipiat, meminerit, patrata esse hæc ab inuaforibus & in-

Sergius in-
uafor sedis
apostolicæ

Christo-
phorum de-
posuit.

An factum
Sergii pri-
uilegio &

au^{toritati}
eccle^{sia}
præiudicet.

Sergius im-
pudicus.

Prouiden-
tia Dei erga
eccle^{siam}.

trusis, pontificis nomen vsurpantibus, & illegitime thronum apostolicum inuadentibus, quique censura ecclesie non tam apostolici, quam apostatici erant nominandi: qui autem legitime creati sunt Romani pontifices, vt Ioannes nonus, ista vehementer sunt execrati. Vnde non est mirandum, quod Sergius cum Stephano sedis apostolicæ inuasore potentissimo, ea quæ sacris legibus inconcessa sunt, tentauerit & vsurpauerit. Alienorum inuasor, grassator est; at quis ab isto iusta legitimaque omnia requirat? Et licet, quod mirandum est, Sergius talis fuerit, & ad sacrilegium nefandum turpissimam impudiciam addiderit, & ex Marozia, nobilissimi illius scorti Theodoræ, de qua ex Luitprando libro secundo capite decimotertio infra sapius, filia, filium Ioannem nomine procreauerit, ramen eo honoris & reuerentiæ fideles omnes, præsertim longe positi Boreales populi, prosequerentur Romanam ecclesiam, vt quemcumque in ea sedentem audirent nomine tenus pontificem, eundem, mirum dictu, nulla habita discussione eius ingressus, vt Petrum colerent. Nam ab hoc Sergio Colonensem & Hamburgensem pallia accepisse testatur Crantzius libro 3. historię ecclesiasticæ cap. 1. Bremensem ecclesiam a potestate & iurisdictione Colonensis, aliter quam auctoritate Formosi papæ in Concilio Triburienfi statutum fuerat, plane exemptam fuisse scribit Adam lib. 1. cap. 42. Vnde nemo non intelligit, quanta prouidentia ecclesiam vniuersam Deus optimus regat & gubernet, quæ cum meretricum arbitrio inflammaretur, omnia mala & scandala increbrescerent, magnoque schismate scindenda metueretur, eandem ab hæresi & schismate omnia ita defenderit, vt potius omnes vbique gentium fideles eidem fidei vinculo & obedientiæ foedere iuncti persisterent, firmiterque adhererent. Postquam triennio sedem inuasam occupasset, defunctus est anno Domini 910. vt infra patebit ex initio pontificatus Ioannis X.

LEGES